

Ann. IX.

ROMAE, Kal. Aprilibus MDCCCCVI.

Num. IV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKĄ RODZINNA,"

VARSAVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

De Mauritanis negotiorum commerciis.

De Fr. Thoma a Celano scriptore.

Varia latinitas. - De latina quadam locutione in argumentatione a fortiori, sive ex contrario.

Corrupta apud veteres ingenuarum artium origo.

Ex Americis. - De utilitate studiorum latinorum.

Ex Batavia. - De Certamine poetico Hoeufftiano.

Hirundo alsatina. Edyllium. Carmen FRANCISCI XAVERII REUSS in certamine poetico Hoeufftiano an. MDCCCCV magna laude ornatum.

Passionis Dominicae repraesentatio.

Ex Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Acta Pontificia. SS. D. N. PII PP. X litterae ad Episcopos ceterosque locorum Ordinarios in Republica Aequatoriana missae de ostilibus potestatis civilis in Ecclesiam ausibus strenue sustinendis.

Diarium Vaticanum. Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Vita functi viri clariores. - Varia.

Annales: Algeciranus coetus. - Gallicae Reipublicae novus praeses. - Russica pax rediens. - Regia itinera. - Nuptiarum fides ab Hispanorum rege data. - Romana solemnia.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem.

Aenigmata.

Libri recens dono accepti.

In tertia operculi pagina:

ZENO - Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCC VI

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVI.

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;
ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5;
March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mitten-
dum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS,, POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:

Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum
subnotationis mi-
serit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium
mensem – bi-
bliopolis exceptis – dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae
loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti
vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra,
eodem iti-
nere gratis omnino fruetur.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE MAURITANIS NEGOTIORUM COMMERCIS.

DUM Algeciras in urbe de pace aut bello totius Europae disceptatio est, dicere de pecunaria Mauritanica re haud inopportum videtur; quippe haec praesertim noscatur inimicitiae causa et aemulationis, quibus invicem legati nostrarum gentium ibi exagitantur.

Mauritano enim in imperio hoc aemulatione factum est, ut veteres adhuc mores atque vetustissima disciplina vigeat; quam ob rem praecepue non iniuria magistratus Mauritani et reges omnem conatum adhuc buerunt, suis ut a finibus Europae hospites prohiberent.

Nam, praeter nullam viarum securitatem, ipsa regionis facies crebra itinera impediebat. Eius enim per litus rari portus, viae paucae et asperae, praerupti montes, vasta deserta, eaque arida nimis. Quum vero haec omnia excitata, conversa aut exstructa fuerint, tum omnes Mauritanae terrae divitiae, fructus, messes omnisque ubertas, pascua et pecudum copia tandem patebit, quae nemo hactenus nec vidit nec umquam sit suspicatus.

Quinimo regnum litore aspero ad oras maris conclusum, adversos fines deserti habet interiectos, qui eius regiones a Gallica Berberica colonia dividunt. Quos per fines nulla limina statuta sunt, sed est nunc latronum dominium, nulla viatoribus vel mercatoribus tuta via; fluxae tribus eos peragrant et iuxta varias tempestates modo huc modo illuc castrametantur.

Per imperii regionem autem montes maxi-
mi extolluntur, qui ab Atlantide nuncupantur,
quorum iuga adhuc nemo exploravit ob im-
pervia itinera, et barbarorum metum. Atlan-
tides montes Alpium altitudinem aemulantur,
sed quadruplici fere ordine distincti, totum
imperium late secant ac dividunt. Ibi vero
multae aquae et uberes valles, quas plerumque
incolae habitant, etsi fodinas metallis
divites, quas montes abundunt, nemo adhuc
et ipsas inviserit.

Quin etiam postrema horum montium pars
ob ariditatem soli paene derelicta est, neque
ibi pecudes sunt, neque horti culti aut silvae
virescunt, neque de divitiis in sinu terrae
abditis ulla notitia habetur. Viae autem et
itinera maxime ibi aspera, rari incolae per-

oppida divisi, qui saepe vicissim bellum gerunt, neque ulla populi vestigia medium praeter montem inveniuntur.



Agrorum itaque cultus maxime florescit iuxta maris litora, et ad montium radices, ubi portus hiant plurimi, quorum ad oras frequens est navium commercium, Rabat, Megadorium, Tangerium, Mazaganum ad urbes, per quas immo et imperium geritur et omnis regni humanitas fovet.

Quae quidem regio in duas partes dividitur, alteram inferiorem, superiorem alteram. Quae inferior est, opimis persulcatur vallibus, ubi faciles viae aperiuntur, et ferrei trahentes deducendi potissimum iam apparent, per quas novissima commercia discurrant. Ferax autem humus vastique agri, atque multi ibi excavati putei, unde aqua facilime hauriatur.

Hac ex regione Mauritaniae omnia gramina exportantur; si itaque agrorum cultus invaluisset, Europaeis quoque civibus multa afferre gramina posset. Ibi immo arbores frequentius conserendas essent et uvae pingues excolendae, quorum vina peroptima ferme haberentur.



Sed altera regio, eaque superior et ab oceano magis dissita, pecudes potius enutrit, equos, camelos, oves alit. Quae paulatim regio ad Atlantidum montium pedes dum ascendit, latam inter utrumque locum planitiam linquit, per quam flumina e montibus descendentia uberrimos locos faciunt, ubi frugiferae arbores optime excoluntur. Est itaque triplex veluti cultus ab oceano ad montes, graminum primus cereri sacer, mox pecudum, postremus vero arborum, quibus Pomona praest. Sed omnis haec ubertas longe maior excreceret si qui eam curant agricolae impensis ad rem adlaborarent, quos idcirco Europaeis artibus erudire et incitare maximopere utile videtur.



Fodinarias divitias, ut Iberici montes, ita et Atlantidis iuga abundunt, aera, argentum, ferrum, mercurium aliaque metalla, quae iamdiu per varia loca innotuerunt: sed ferreas iam fodinas veteres quoque imperii incolas effodisse haud dubiis signis innotuit.

Salinae etiam sunt complurimae, quarum potissimum Simanus lacus affert, cuius imo ex fundo thesauri salis diu iam educuntur. Nam incolae camelos cistis onustos in aquas compellunt; modo genuflectere quum coegerint cistas salina arena compleant, quae deinde sole arescit.

Sed ditissima fodinaria regio ea est, quae Sus nomen obtinet, quam quum peragrasse nonnumquam Europaei viatores, non modo frugibus feracissimam viderunt, sed passim lapidibus invenerunt completam, qui et ferrum et aeneum metallum et argentum saepe continebant.

Neque tamen has fodinas umquam incolae exercuerunt, quimo impedierunt acerrime quominus et alienae gentis hospites eas tentarent. Quamobrem quum aliquot abhinc annis Galli quidam ad rem manus admoverunt, vi repulsi sunt atque ad male relictas naves redire coacti.

Sed Germani potissimum mercatores novissimo tempore adeo callida arte utuntur, sua ut commercia per ignotas adhuc imperii regiones multiplicant; quo fit ut ad eorum iam divitias aditus facilis pateat undique, neque diu expectandum tempus videatur quo fodinaria quoque opera ad ipsos praesertim, in diuturni laboris praemium pertineat.

Quae quum finitimi Iberi et Galli viderint, clare patet causa tantae inimicitiae quae tandem habenda sit.

DE FR. THOMA A CELANO SCRIPTORE⁽¹⁾.

AD haec usque ultima tempora, Thomas a Celano historie et veridici fama gaudebat, sed hodie vix nominari potest, quin subrideant illi, qui in historia franciscana describenda primum arrogant locum sibi, parvique faciant « retrogradum », qui Celanense audet invocare testimonium. Unde illa subdita iudiciorum mutatio?

Criticam historiam iactantes surrexerunt nonnulli, liberi examinis sectatores, qui eruditio, quam nemo in dubium vocat, et sermonis elegantia non solum multorum oculos obfuscaverunt, sed etiam quorumdam ita perturbarunt mentes, ut illos novatores sibi magistros eligerent et sequerentur, ne dicam antecederent,

(1) Ex opere cui titulus: *S. Francisci Assisiensis vita et miracula, additis opusculis liturgicis, auctore Fr. Thoma de Celano*, quae ad fidem mss. recensuit P. EDUARDUS ALCONIENSIS O. M. C., his diebus vulgato. (Proleg. c. II). — Quod editores Desclée, Lefebvre et Soc. scriptum hoc tradiderint ut apud nos publici iuris fuerit, *Vox Urbis* grata refert.

quasi ad ostendandum se opiniones fictas et vanas catholicorum evinxisse (1).

Criticam non refugio, sed hoc nomine censendam non aestimo illam quam subiectivam dicunt, seu internam, sub eius specie, quidam proprias excogitationes pro lege assumendo, illas supremos Canones criticae vocant, et eos qui ipsorum placita non admirantur fere despiciunt. Haec est causa mutationis in indiciis circa Thomam de Celano. Iussu Pontificis Gregorii IX scripsit *Legendam I^{am}*; mandato vero Generalis Crescentii *II^{am}*, et *Tractatum Miraculorum* praepublice Ioanne de Parma. Unde eum scriptorem « officiale » contemptim nominantes, illius scripta, vel quasi necessario sinceritate destituta, vel minus exacta præsupponere malunt. At illa non est sola neque potissima eorum livoris causa.

Thomas Franciscum virum penitissime catholicum depinxit. Neocriticis vero perplacet quendam somniare Franciscum haereticantium Reformatorum pene praecursorem, et hinc Thomasae detrectant scripta, quibus inanes huiusmodi somniationes radicitus præoccupantur. Hoc aperte declarare non possunt; etenim sensus intimos palam præferendo non ita facile lectorem decipiunt, sed venenum publice si non propinat, illud instillare satagunt, insinuationibus utuntur, non declarationibus explicitis. Franciscum virum summe catholicum rebellem fuisse affirmare non valent, sed rebellionis sensus in eo aliquando fuisse susurrant. Qui dicebat primis fratribus, quos ei dederat Deus: « Euntes ad matrem nostram Sanctam Romanam Ecclesiam, notificemus Summo Pontifici quod Dominus per nos facere coepit, ut voluntate et præcepto illius quod coepimus prosequamur » (2), non tamquam filium animo volenti subditum depingunt, sed uti vinctum et in servitute redactum. Qui in testamento suo, quod tanti facere videntur, nihil adeo se timere manifestat, quam filios habere non pure catholicos, et qui volebat tales, si forte inventi fuissent, tanquam homines in vinculis die nocturne custodiri, donec coram Domino Hostiensi « qui est dominus, protector et corrector totius fraternitatis » præsentarentur, effingunt a Curia Romana delusum, et verba quae negare non possunt, explicare non erubescunt tum pusillanimitate spiritus, tum frustratione exspectationum quae sibi magis cordi erant, tum infracti animi lassitudine, aliisve gratuitis insinuationibus, quae sincerum criticum maxime dedecent.

Hunc Cardinalem Hostiensem qui « revera ferventissime se habuit circa eos (Franciscum et fratres) ac si esset omnium pater » (3), ut principale Curiae Romanae instrumentum in delinendo et captando pauperculum Franciscum

(1) Haec schola hodie magistrum salutat Paulum Sabatier. Doctissimo viro necessitudine quadam vincior nec non et gratitudine; nihilominus eius doctrinas, quas noxias aestimo, licet armis imparibus, debellare non haesito, quia "vetus pro verbium est", ut diceret noster Thomas, "amicus Plato, sed magis amica veritas". Illum et alios refutando errores non homines insequeor.

(2) Leg. 3 Soc., cap. XII, Act. SS., 46. — Consulto heic testimonium refero Trium Sociorum, quorum opusculum extollunt hypercritici, illudque perpetuo scriptis Thomae anteponunt.

(3) Leg. 3 Soc., cap. XV: Act. SS., 61. — "... Immo plus quam patris carnis dilectio ad carnales filios se naturaliter extendat, amor huius spiritualiter efferbit ad virum Dei cum suis fratribus..."

arguunt, illique ad crimen vertunt consilia quibus nascentem Ordinem ad rectum iter dirigebat, quasi ad alienum finem illum deduxisset. Unde *Legendam*, quam, iubente illo ad Summum Pontificatum evecto, conscriptam, et ab illo approbatam, hoc ipso sinceritate carentem, atque non genuinam Sancti imaginem, sed iuxta Curiae placita accomodata et deformatam reprezentare conelamitant. Oh mira criticae subiectivae conclusio! Sane Thomas eum quem excogitant Franciscum non depinxit; clarus eum catholicum ostendit, quam ut scripta eius detrectare non fiat ipsis necessarium. Sed quae, numquid haec est sana et proba critica, quae in testimoniis non tam veritatem, quam opinionum præiudicatarum confirmationem quaerit?

VARIA LATINITAS.

De latina quadam locutione
in argumentatione a fortiori, sive ex contrario.

VARIIS latine modis haec argumentatio ex primi potest, cuius tamen sententia semper hoc redit: « Est A: Ergo multo magis est B ». Inter alios ille numeratur, quo duo membra opposita, nulla interiecta coniunctione, quod grammatici *asyndeton* vocant, sic disponuntur, ut propositio tota formam induat interrogationis, præmissa particula *an*, *an vero*, aut coniunctione *ergo*. Sic Tullius V Tusc. XXXII, 90: « An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi facere non poterunt? » Idem II Tusc. XVII, 39: « Ergo haec veteranus miles facere poterit, doctus vir sapiens que non poterit? »

Modus hic enuntiandae argumentationis Iosepho Cevolanius aliquid contra logicen videtur habere (1).

Ac primum vir clarissimus animadvertisit, in propositione quae inchoatur ab *an*, ut in priore exemplo, illud *an* idem valere ac *num*, quo propositio efficitur negans. Itaque: « An est A? » idem sonat ac: « Num est A? »; seu: « Non est A ».

Hoc posito affirmat, illud *an*, proxime præpositum priori membro, non hoc quidem, sed alterum afficere, ita ut in adducto primo exemplo sit ita intellegendum: « Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere: an nostrates philosophi non poterunt? » — Etenim, si *an* ad primum referatur membrum, id absurdum consequetur, ut, quod affirmare propositum sit, id plane negetur. Cumque dicas: « An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere? », sublata forma interrogationis, habes: « Scythes Anacharsis non potuit pro nihilo pecuniam ducere », quod omnino sententiae scribentis opponitur.

Confirmari rem addit Cevolanus usu eorum, qui bimembres huiusmodi propositiones nostro sermone interpretantur. Non enim sic reddunt: *Forsechè lo Scita Anacarsi potè disprezzare il danaro, (e) i nostri filosofi nol potranno?* Verum, mutata sede particulae *an*, sic vertunt:

(1) Cf. *Atene e Roma*, n. 84.

Lo Scita Anacarsi potè disprezzare il danaro: forsechè i nostri filosofi nol potranno?

Itaque in hoc est a dialecticis legibus aliena locutio, quod priori membro argumentationis *an* præponatur, quum ad alterum pertineat; pro eoque quod dici deberet: « Est A; an B non erit? » — dicatur: « An est A, B non erit? ».

Equidem, si quid mihi contra cl. viri sententiam opinari licet, sic existimo, quum *an* tum ergo in id genns exemplis, non ad unum membrum, sed ad argumentationem referri totam, habita eorum ratione quae dicta sint ante, sive per oppositionem (*an*), sive per conclusionem (*ergo*). Quare, si allata exempla aut similia considerare iterum velis, id semper occurret:

« Est B: An est A, B non erit? »

« Est A: Ergo est A, B non erit? »

Haec reputans, ne italicico quidem interpretari facile vitio tribuerim, si ita vertat: *Forsechè (o che) lo Scita Anacarsi potè disprezzare il danaro, e i nostri filosofi nol potranno?*

Atque hoc referri sententia mihi videtur Riemannii et Goelzezii, quorum in *Grammaire comparée du grec et du latin*, p. 837 alterius voluminis haec leguntur: « On pourrait noter aussi » en latin comme exemples de juxta position » remplaçant la surordination. — L'emploi de » an portant sur l'ensemble de deux propositions, dont la première est logiquement suivie à la seconde (de même l'emploi de *ergo* dans l'argumentatio e contrario, Cic. pro Arch. XII, 30; De off. I, XXXI, 114; Tusc. V, XXXVI, 104 (cf. en grec l'emploi correspondant de μέν... δέ) ».

P. ANGELINI.



CORRUPTA APUD VETERES INGENUARUM ARTIUM ORIGO.

DE ingenuis apud veteres artibus quum loquimur, libenter atque iure miracula omnia statim cogitamus quae Graeci artifices perfecere, quaeque adhuc per musea demirantur. Et Graeci profecto conatu prævalido ad assequendam pulchritudinem moti, perfectissimum quidquid atque altissimum quod veneranda peperit antiquitas, compleverunt. Sculptrores enim eorum vel pictores, poetae, oratores, philosophi atque architecti eam formam sunt assequuti, quae eorum opera pulcherrima omnium fecerit, quae umquam homines ediderint. Pulchritudinis enim erant studiosi quam maxime, atque eius splendores mirum in modum prosequebantur; quinimo eius studio ita corrupti sunt, ut humanum corpus usque ad turpitudinem, et crimen ipsum dilexerint; quum omnes, qui foedis membris nati fuissent, occidendos censerent. Hanc barbaram feramque sententiam Plato ille decrevit, quem Victor Cousin maximum inter philosophos dixit, qui optimos mores docerint.

Tale profecto crimen in « Republica » sua, quam effinxit, sancendum volebat; atqui rem publicam illam quasi perfectam humanae societatis rationem compositum; atque ita Athenis eam legem ferri voluisse, ut omnium odio in hominum foedas facies vel invalida corpora

satis fieri
Lacedaen
Taigeti
madverte
tudinem
poris tan
exceptis
tudine,
abdictio
hanc su
tentavi
Quin e
maximi
Neptu
et Ana
atque
plenus
rentu
religi
conal
omni
atque

Ne
est,
phil
tunc
erat
piet
vita
aut
imp
vet
pu
en
me
an
di
ap
Su
el
m
q
e
t
l

satis fieret. Re quidem vera, Lyceurgi apud Lacedaemones vigebat lex, ut invalidi pueri Taigeti montis ex iugis deiicerentur. At animadvertisendum est, Graecorum studium pulchritudinem animi nullimode spectasse, sed corporis tantum membra considerasse; paucis vix exceptis viris electis, qui de animorum pulchritudine, - ut Diotyma suo in convitu, clam atque abdite disserebant. Socrates enim, qui in foro hanc suam doctrinam exposuit, malam fortunam tentavit, atque culpae poenam vita rependit. Quin etiam Phidias ipse traditur sacerdotis maximi consilio fuisse veneno enecatus, quod Neptuni Ericeti cultum parum prosequeretur, et Anaxagorae doctrinam amplexatus, Iovem atque Palladem ita effinxisset divino numine plenos, ut unum idemque numen dii iam videbantur spirare. Haec enimvero contra acceptam religionem pugnabant, atque tot numina varia, contraria, incerta, vicissim adversa evertente conabantur unumque Deum ponere, principium omnium aeternum, creatorem mundi, dominum atque regem.

Neque tamen sacerdotis crimen incusandum est, sed excusandum potius, perspecta maxime philosophiae atque reipublicae ratione, quae tunc vigebat. Incertus enim, arduus, difficilis erat sermo atque durus, qui Deos omnibus impietibus et licentiis faventes eiiceret; nullam vitae et arbitrio moram Dii imponebant, Deus autem unus multa contra iussisset ingrata atque importabilia. Sed hunc praesertim ob motum, veterum philosophia imbecillis fuit, ipsumque pulchritudinis studium vanum et inane. Quo enim tempore res publica omnis vi tantum et metu regebat, ingenuae artes, neglecta omnino animorum natura, corporum tantum pulchritudinem reprezentabant.

Hoc maxime defectu accidit, ut nulla fuerit apud veteres morum nobilitas et pulchritudo. Stoici enim, qui dicebantur, perpauci erant viri electi seorsim a populo viventes; reliqua vero multitudo unam voluptatem quaerebat. Quamquam illi quoque electi philosophi, quum bonum et optimum quaererent et contemplarentur, vitam ab eius praeceptis omnino alienam ducebant, illud Horatii saepe de se iterantes:

Video meliora proboque, deteriora sequor.

Neque aliud tamen esse poterat, quum legem illam de hominum fraterno studio servando, quam Christus posuit, veteres omnes ignoraverint, atque hoc mutui amoris studium quod omnes hodie experimur, ignotum plane maioribus nostris fuerit. Omnis enim eorum respublica iure servitutis condita servorum tantum opera vivebat. Primo autem hoc iure humano reiecto, fiebat ut homines in humanitatis viam progredi longius haud valerent. Beatitudo itaque quam ipsis assequi licebat, perpaucis tantum patebat, qui, oppressa ceterorum vita et fuso sanguine, aliorum bona diripiebant, mulieres, praedia, divitias omnes, atque numero pauci communibus bonis utebantur. Una autem est veterum humanitas semper atque uno verbo continetur; eivem beatum reddere oppreso famulo, una ei lex erat.

Igitur pulchritudinis studium, etsi multorum fuerit, usus et gaudium paucissimis patebat, beatioribus illis quoque atque fortioribus. Quin-

imo effraena cupiditatibus data licentia efficiebat, ut criminum maxima causa illud pulchritudinis studium fieret; quod quo magis fovabant poetae et artifices, eo magis insanos appetitus incitabant; quamobrem concessa mundo divinitus forma pulchritudinis et ad leniendos et blandiendos animos data, maxima saepe crudelitatis, ut in Nerone Caesare, incitamentum fieri visa est.

EX AMERICIS

DE UTILITATE STUDIORUM LATINORUM.

Ad magistros linguae latinae.

LATINA studia tironibus tradituri, amici, vehementer laetari possumus, quod ea est nostra disciplina, quae (si modo recte ac diligenter rem administremus), non modo utilis sit, verum etiam facilis et iueunda. Quamquam enim nemo sobrius poscit ut oblectamenta in studiis sibi suppedimenta, abunde sufficit si prosint; neque labores discendi eos deterrebunt, qui honestiora capessere maluerunt. Mathematicis rebus pauci delectantur: quae tamen adeo necessariae sunt, ut omnibus pueris imponi soleant. De utilitate igitur studiorum latinorum ante omnia cogitandum nobis atque disputandum est.

Quintuplex autem utilitas in latina disciplina cernitur; explicatio, praeparatio, exercitatio intellectus, litterae, sermo.

Atqui latina lingua appareat explicatio tum legum generalis syntaxeos, tum vocabulorum locutionumque plurimarum in cotidiano usu patrii sermonis obviarum. Anglica grammatica praecipue mihi occurrit; quae quam difficilis explicatu sit omnes fatentur. Etenim analysis synthetica tantum abest ut ad certas leges revocetur, ut saepenumero dubites, quae nam pars orationis haec vel illa vox habenda sit. At Latinis nulla dubitatio suboriri potest; immo vero tantum beneficium e latini sermonis clara certaque natura percipimus, ut si talis sermo nobis deesset, fingendum aliquem fuisse putem, quo pro norma loquendi uteremur.

Locutiones autem hodiernarum linguarum quis absque latinis explicet? Exempli causa, verbum *medicinae* considerate. Duas id significaciones apud plerosque obtinet: studemus quippe medicinae et sumimus medicinam. Latina vero disciplina hos sensus optime exponit, quum Latinis adiectivum sit femininum *medicina* cui vel *ars* vel *res* (h. e. medicamentum) per subauditionem adiungitur.

Praeparatio autem triplex e latinae linguae notitia elicetur, ad disciplinas naturales, ad philosophiae theologiaeque studia, vel romanicas linguas. Ad disciplinas quidem naturales quod attinet, constat inter omnes quam necessaria res sit in id genus questionibus certa atque communis « nomenclatura ». Tamen extra latinum sermonem incerta, confusa, ambigua nomina reperimus. Qua de re factum esse videmus, ut latinae « nomenclaturae » ubique gentium vigerent; quin immo, si quae vel herba vel animal latino nomine caret, fingitur nomen ut omnis in posterum praecludatur dubitatio,

Quod utinam in theologia et philosophia ubique fieret! Etenim ad vulgus vulgari sermone de huiusmodi rebus disputare plurimos videre est. At rectos sensus tribuere vocibus harum rerum propriis vulgus plane nescit. Est igitur in latinis haud mediocre contra sophismata remedium.

Omissis vero romanis linguis, (quarum vocabula ex antiquitate latina fluxisse in confessio est), exercitatio duplex in hae disciplina invenitur; legendis latinis quaelibet vocula varias habet exercitationes. Verbi causa, si vox *clavis* in scripto reperiatur, statim iudicandum est ad quemnam nominativum referatur. Tres autem nominativi hanc vocem pariunt, *clava*, *clavus*, *clavis*: aliae igitur ex aliis tum significaciones tum leges syntheticae perpendendae sunt, donec ad rectum verumque scriptae vocis sensum, omni a motu dubio, perveniatur. Porro in scribendo latine haud minus animus colitur. Nam vel ipsa latini sermonis inopia antiquitasque prodesse consuerunt, dum hue illuc animus seribentis volitare cogitur, ut ambiguitatem evitet plenumque sensum edat.

Litterae vero latinae non unius aevi sunt. In scholis quidem publice constitutio *classicorum* tantum scriptorum mentio viget. At, hoc extincto, ingentem sane Christianorum multitudinem exstisset novimus: quibus postea medii aevi auctores non sine nostro emolumento successerunt.

Postremum beneficium latinae disciplinae sermonem esse dixi. Communem interpretem (qualis per millennium Europaeis latinus sermo fuit) orbis noster dudum querit. Quippe obstant recentiores linguae: hae enim, quia facilius discuntur, antiquitatem depellunt: quae tamen inter se rivalitate perpetua contendunt ita ut nulla earum ceteris anteponatur. Manet igitur vel hodie latinis sermo unice communis atque publici iuris, sive, ut ita dicam, *internationalis*. Sed de hac re plura disputare nego. Melioribus enim et docendi rationibus et doctoribus opus erit si haec latini sermonis utilitas restituenda est. Nihilominus tamen in beneficiis latinae disciplinae enumerandis nullam partem praetereundam putavi. Valete.

Scrib. in urbe S. Boise, Idaho.
Kal. Martii MCMVI.

TH. TAYLER CHAVE, B. A.

EX BATAVIA

DE CERTAMINE POETICO HOEFFFTIANO.

Accepimus, et libenter edimus:

« Die XII m. Martii in conventu Ordinis Literarii Academiae Regiae Disciplinarum Nederlandiae relatum fuit de XV Carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant ut de praemio an. M DCCCC V certarent. Victor renuntiatus fuit

ALOISIUS GALANTE ex urbe Vercelli, qui *Licinum tonsorem cecinerat*. Praeterea tria carmina laudata fuerunt, nempe: *Hirundo Alsatina*, *Agape*, *Ludi magister invita Minerva*. Haec quoque carmina legati HOEFFFTIANI sumptibus edentur, si poetae veniam dederint schedulas aperiendi, quod iam fecit poeta *Hirundinis*, cuius nomen est FRANCISCUS XAVERIUS REUSS ex urbe Roma.

H. T. KARSTEN,
Acad. Reg. h. t. ab Actis ».

HIRUNDO ALSATINA

EDYLLIUM

Carmen FRANCISCI XAVERII REUSS alsatino-romani

in certamine poetico Hoeufftiano Amstelodami a. MDCCCCV inito magna laude ornatum.



*Ver est, ac redeunt quotquot abegerat
autumnus volucres: cur mea trimula
non appetet Hirundo⁽¹⁾
hornas inter hirundines?*

*Nidus, Cara, manet te prior; occupa
tornatum nitide, quem neque passeri
furaci, neque telis
permisi puerilibus⁽²⁾.*

*Intactus veteri pendet in angulo,
primo sole tepens, tutus ab imbris,
et sub margine tecti
acri tutus ab Aeolo.*

*En gypsata domus tota recanduit.
Mansit fulva tamen gratia nidulo
incorrupta, refertque
argillae decus aureum.*

*Lustro (dispiciens cominus, eminus)
palantes avium non semel ordines.
Longas ante fenestram
horas pervigil exigo.*

*Nigrant tecta tuis, Trima, sororibus.
Iam pars una petit, iam petit altera
« Illam »⁽³⁾, qua (bona praeda)
gens muscaria bombitat.*

*Heu! nusquam mea se prodit amicula,
dignosci facilis, quod pede dextero
fulgentem gerit, Indo
tinctam murice, taeniam.*

*Ostro me memini cingere cruscum,
quum, dictura Vale, se mihi sisteret
ales, prompta sub Afri
hibernare caloribus.*

*Circum, tecta sonant; nec mea pipilat
cantrix, cuius eram doctus amabilem,
inter mille sodales,
mox discernere voculam.*

(1) Nonnulla hic memorata veritate nituntur. Auctori enim adolescentulo par fuerat hirundinum admodum familiare; quod, quum autunnalem de more suscepisset migrationem, appetente vere novo, semel iterumque rediit ad nidum natum; tertio vero anno, iam non apparuit, magnum sui relinquens desiderium.

(2) Nidum, quem hirundines sibi teretem ex argilla construunt, passeres quandoque, pro suo furaci ingenio, hiemali tempore occupant.

(3) Ceteris Alsatiæ rivis, qui in Rhenum influunt, aquarum copia præstat Illa, unde tota regio nomen accepit. Vox enim Elsässer (Ill-sässer) significat Illæ accolam.

*Quid? Non te revocant alma parentium,
bis concessa tibi, gaudia, munera?*

*Non, quae semper opimae
cesserunt tibi, coenulae?*

*Non haec cella trahit te mea, lusibus
nunquam clausa tuis; clausa sed aucupi
feli, frendere visae,
dorso dum fugit hispido?*

*Non te nostra iuvant prata virentia?
Non quae ridet agros inter arabiles
messis, pomiferarum
cultu laetior arborum?*

*Non umbrosa beant te iuga, pinifer
quae noster « Vogesus »⁽¹⁾ nubibus inserit?
Non vineta, minorum
princeps gloria collum?*

*Pagum non recolis, cui « Locus altior »⁽²⁾
nomen; civis ubi quisque rubentia
cedit tecta nigellae,
hospes fidus, hirundini?*

*Quae te dira vetant fata revisere
fines Alsatiæ dulceque praedium,
in quo nata, sereno
es perfuncta triennio?*

*Solvens e Libyca syrte, nec Italo,
ut nox incubuit, redditæ littori;
eheu! num periisti
salsae praeda voragini?*

*Num te funda neci nautica tradidit,
dum furtiva capis navis in arbore,
iunctis molliter alis,
remex lassulus, otia?*

*Tellus Ausoniae, consita retibus,
inviditne togam fors tibi plumeam?
Assutamne video
mitris te muliebribus?⁽³⁾*

(1) Pars Alsatiæ montuosa ad montes Vogesos pertinet, quorum altiora quidem iuga silvis, minores vero colles vineis abundant, fama celebratis.

(2) Locus altior vel Sedes montana appellari latine potest oppidum auctoris natale, Bergheim.

(3) Vix credibile est, quot aves in Italia, retibus captae, tempore migrationis intereant; maxime, postquam mulieres Italæ volucrum exuvias caput ornare cooperunt. De tanta internecione non semel aliae conquestae sunt nationes.

*Num te caedis amans (cui fera viscera
vermes dilacerat!) milvius obruit?*

*Oppressitne procella
nimbis te furialibus?*

*Num tu, riminea crata coercita,
captorem puerum mordicus appetis;
imbellige laboras
clathros ungue refringere?*

*Spretis numquid agris et lare simplici,
aedes marmoreas incolis urbium,
pruritu malesanae
titillata superbiae?*

*Ah! ne te pudeat, si sapis, hospitae
assuetaeque domus! Desine, desine
moliri nova; morem
serva, Trimula, pristinum.*

*Migra! quum stabilem nec tibi, nec mihi
sedem condiderit Terra volubilis⁽¹⁾.
Migra, dum legit uvas
inter iubila vinitor.*

*At natale solum tu stationibus
unum palmigeris antefer omnibus:
palmas esse memento
arces castraque vulturum.*

*O, dum vernal humus, dum mea flebili⁽²⁾
vitis rore madet, Trima, revertere
quo te pagus amicus,
nulli pervius hostium,*

*quo lex officii, quo tua commoda,
quo te vota vocant anxia Patriae!*

*Est hinc nobile tectum,
sedes cara volucribus,*

*templum turrigerum, cuius in arduo
crux aurata nitet vertice. Verticem,
verno sole coruscum,
Alpes ut superaveris,*

*metam fige tibi, conspicuum procul.
Huc appelle, redux; hinc age Numini,
tot subtracta periclis,
laeto carmine gratias.*

(1) Hoc loco ea sponte subiit, qua ipsum lectorem monitum volui, sententia Apostoli (Hebr.): « Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus ».

(2) Pulere rustici flere vitem dicunt, quum ex eius palmitibus, vere novo accisis, limpidus humor destillat.

Passionis Dominicae repraesentatio.

QUE de Dominica Passione atque Resurrectione Evangelium narrat portenta, ea semper tum poetarum tum pictorum animos pereulerunt, ut maximis in ingenuarum artium operibus videre est.

De re igitur satis perspecta omnibus verba haud facimus, id unum contenti, oculis supponere sociorum specimen pictoriae artis, quod pinacotheca Vaticana custodit a Caravaggio effectum. De alia potius Passionis Dominicæ repraesentatione loquemur, a qua, populari nota insigni plerumque, hodierna, quibus tantum delectamur, dramata oborta sunt.

Etsi enim bellatorum Crucis tempore effigendae inter populos Dominicæ Passionis consuetudo a plerisque inita tradatur, ea tamen a primis usque Ecclesiae temporibus invaluit. Christianorum enim coemeteriorum picturae, — Priscillæ coemeterium, ubi in murali pariete Iesus spinis redimitus conspicitur, exemplo est — hanc popularis memoriae originem evincunt; qui paullatim usus ad nostra usque tempora, *Viae Crucis* quod dicimus, pio itinere adhuc viget. Nec desunt immo veteres scriptores, qui mysteriorum sacrorum figura quomodo scaenica arte repraesentaretur Ioannem Chrysostomum primum docuisse censuerint.

Sed licet haec missa fecerimus, usum tamen repraesentandi mysteria sacris ex iustificationibus sacrisque ex Ecclesiae ritibus primam originem duxisse putamus. His enim spectaculis populare desiderium adimplebatur, quo paulatim duce, et aucta et ampliata et veluti in scaenam posita sunt.

At vetus quoque Testamentum sacris tragediis argumenta praebebat, quamvis Dominicæ Passio longe maiora proferret. De crucis bellis autem id forte tantum tenendum est, plurimum contulisse ut Crucis mysteria magis quam veteris legis gesta recolerentur.

Anglorum cura itaque, XII saeculo, Christi resurrectio sive ἀνάστασις celebrata ludis scaenicas fuit; haec vero iuxta superstites notas scribimus, incerti an antiquiora forte dramata prodierint.


Primum autem sacra, quae vocabant, mysteria in templis tantum populo oblata sunt, et sacris ritibus quodammodo commixta apparuere. Saeculo vero XIII iam Episcoporum decretis cautum est ne ea inter tempora agerentur, quae populum nimis ad clamores et fremitum commoverent.

Mysteria igitur ex templo eiecta in porticibus seu ἐν προνώιοις acta sunt. Ut vero laicorum sodalitia passim, quae clero inter sacra cooperabantur, crevere, ita, opera eorum praesertim nova semper mysteria exhibita sunt. Quamobrem anno MCCCCII Parisiis Sodalitum quod a Dominicæ Passione nuneupabatur, proprium veluti ius eam effingendi sibi vindicavit.

Sed antiquitus iam apud Italos locum res obtinuerat; nam Patavino in campo, quem de Valle vocabant, id primum factum a Ludovico Antonio Muratorio commemoratur (1); mox in Foro iuliensi regione, anno MCCXCVIII die Pentecostes atque eius per octavam plura huinsmodi my-

steria perduebantur; Passionis, et Resurrectionis, Ascensionis atque Indicij. Tarvisii sodalitum erat *Verberatorum*, qui quum Deiparam ab Angelo salutatam repraesentarent, duos clericos sibi adiungebant, qui angeli personam Mariaeque gererent. Similiter eius in legibus videmus publici ludi magistros ad necessarias vestes iis comparandas obligatos, et singulorum

cussisse, ut prorsus enecaret. Cecidit hic itaque, atque genuflexam ad Crucem Mariam Magdalena pondere suo suffocavit. Tunc tradunt iratum regem interfecisse Longinum, eaque crudelissima ultiōne commotum populum ita fuisse, ut regem elata seditione trucidaverit. Quae etsi abnormia et parum veritati consona videantur, docent tamen qua de causa non iniuria eos



Christus Iesus ad sepulcrum tractus.
(CARAVAGGI tabulam photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

cantorum mercedem praestitutam. Quum autem plerumque paschatis diebus hae feriae haberentur, paschales ludi vulgo appellabantur.

Quos quidem ludos non meridionalis tantum Europæ populi maxime colebant, sed nordicæ ipsae nationes. Quinimo et fabella quaedam, in Suetiorum populo diffusa, narrat coram Ioanne IIº rege, mysteria sacra dum peragerentur, Longini centurionis personam gerentem lancea ita Iesu Christi munere fungentem per-

ludos ex templo canonicae leges eicerint, qui saepe profanam potius quam sacram pompam praeseferebant, gravesque haud raro tumultus excitabant.

Quac profecto causa fuit ut Romæ quoque, licet ad Pauli III Pontificis aetatem, ludi perduraverint, eius decreto anno MDLIII intermissa fuerint omnino. Romæ autem, ob sacras praesertim martyrum memorias, locus ad rem electus erat Anphitheatrum Flavium, cuius

(1) *Rerum Ital. Script.*, vol. VIII, pag. 305.

in arena, spectante circum per gradus plebe, Christi Passio agebatur. Sed ante drama supremum pompa ad instar vel *Viae Crucis* supplicatio diurna ducebatur, a Capitolinae arcis pede usque ad arenam. Ex templo nimurum Deiparae in *Campo Carleo* sacro, apud Traiani forum, res incipiebat, ubi aedieula erat nomine « Spolia Christi », quia ibi Jesus vilibus vestibus induebatur. Modo per forum ad flumen pompa ducebatur ad « domum Pilati », turrim scilicet quamdam saeculo XI exstructam, quae ad nos dies nomen servavit, deinde ad Herodem et ad Caipham, prope parvum Solis templum in platea a S. Maria in *Cosmedin* nuncupata.

Postremo, ut diximus, piae feriae in Amphitheatro concludebantur; ubi sacellum erat Iesu Servatori sacrum, *de rota colisei* dictum, quod postremo, xv occidente saeculo, Pii Sodales a Vexillo (*Gonfalone*) sibi emerunt et Deiparae a Pietate dicarunt; quoniam sodales illi, ab anno usque MCCLXIV oborti, praecipua mysterii partem iure suo sibi tribuebant. Cuius descriptam pompam a Germanico viatore habemus Arnulpho Starff, qui anno MCCCC LXXXVII, Romae quum esset eam, vidit et vehementer probavit.

Sed furentibus saepe civibus in eos qui Iudeorum vel militum partes agerent et ad lapides et arma venientibus, ii tumultus nonnumquam Romae quoque excitati sunt et clades, ut piam tandem pompam prohiberi omnino necesse fuerit.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Concilii Tridentinis decretis interpretandis:

De SS. Eucharistiae frequenti atque quotidiana sumptione haec quae sequuntur S. C. declaravit:

I. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a catholica ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

II. Recta autem mens in eo est, ut qui ad S. Mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulget, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurere.

III. Etsi quam maxime expedit ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint experientes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos; quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

IV. Quum vero sacramenta Novae legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeatur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem et officia.

V. Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat, uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

VI. Quum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum

Christo augeri, spirituale vitam uberioris ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pinguis vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et Concionatores iuxta probatam Catechesi Romani doctrinam (Part. II, c. 63), christianum populum ad hunc tam plium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

VII. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promovetur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promovetur in clericorum Seminarii, quorum alumni altaris inhant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

VIII. Si quae sint Instituta sive votorum solemnium, sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones, aliquibus diebus affixa et in iis iussae reperiantur, haec normae tamquam mere *directive*, non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eiusdem patere semper debet, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores eurabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legantur infra Octavam festivitatis Corporis Christi.

IX. Denique post promulgatum hoc decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidiam Communionem abstineant. (Ex decr. d. xx mens. Decembr. an. MDCCC V).

Decr. insuper d. XXII mens. Decembr. MDCCC V haec de *Seminariorum alumnis* sunt constituta:

I. Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim et suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens indicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alias Episcopos egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat.

II. Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio seminario versatos esse et ab eo deinde dimisso, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

III. Pariter quum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminarii aliquod religiosum institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris iniciati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius seminario dimissi fuerint.

IV. Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus convenientiat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio, manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in constitutione *Speculatorum Innocentii XII* et in decreto S. C. Concilii quod incipit: *A primis*, die XX m. Iulii 1898, statuantur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in cap. 16, Sess. 23, de reform.

Vult autem SS. D. N. Pius PP. X ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

—♦♦—

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. PII PP. X

litterae ad Episcopos ceterosque locorum Ordinarios in Republica Aequatoriana missae de hostilibus potestatis civilis in Ecclesiam ausibus strenue sustinendis.

Acre nefariumque bellum ab iis, qui rem publicam Aequatorianam temperant, iamdudum adversus Ecclesiam susceptum, tantum abest ut diurnitate defervescat, ut flammarum potius concipiat in dies maiorem. Iam horum consilia hue spectare, ad religionem catholicam non modo iniustis vinculis impediendam sed evertendam funditus, clare indicant istae quae rogantur et sanciuntur leges; si tamen leges ea sunt deereta nominanda, quibus civilis auctoritas perperam de rebus, a ratione et potestate sua remotis, quid statuerit.

Apostolica quidem Sedes, pro paterna sua in civitatem vestram benevolentia, permultis perque magnis testata exemplis, quum nihil praetermisit quod hostiles mitigare animos posset, tum de reliquo facilitatem indulgentiamque omnem paratissima est ad redintegrandam pacem adhibere. Interim vero Apostolici sanctitas officii, quemadmodum Decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII impulit, ut, datis ad vos litteris, violata Dei et Ecclesiae iura vehementer expostularet, ita nunc, quando novae maioresque dolendi causae in hoc genere existunt, impellit Nos, ut illatas religioni iniurias eo magis conqueramur.

Sane haec talia deplorare satis non possumus, de quibus iam nonnulli vestrum, valde se Nobis probantes, questi sunt: sanctitudinem stabilitatemque matrimonii christiani inique attentam; exturbatum bonorum possessionibus Clerum; disiectas religiosorum familias, nativamque potestatem sollemnia Deo vota nuncupandi coaugustatam improbe; varia perfunctioni sacri ministerii allata impedimenta. Atque ad ista omnia, quae quidem maximo Nobis moerori sunt, vobisque, quotquot estis sacerorum antistites, intolerandam rerum conditionem creant, cumulus quidam accedit ex eo, quod pleraque dioeceses diutius iam Episcopos suos desiderant. Iamvero huic ipsi in commodo, singularem in modum gravi, quod multorum causam malorum continet, ne fiat remedi cunctatione gravius, sentimus mature ratione aliqua medendum esse.

Sed alia praeterea est cura, quae Nos magno labore sollicitat: veremur quippe, nec sine causa, ne istorum qui in civitate praesunt exempla sensim in iis qui subsunt tantum possint, ut veterem exploratamque istorum cum Romano Pontifice coniunctionem extenuent. Quapropter vestrum erit, Venerabiles fratres et dilecti filii, omnem operam diligentiamque conferre in populum, et efficere, ut catholici homines, arctius in dies vobis et per vos Apostolice Sedi adhaereant: iidemque, vobis auctoribus, concordi nisu et salva verecundia civili auctoritati debita, contendant quavis legitima ope sarcire damna quae religioni publice importata sint.

In primis vero excitate omnes et hortamini ad officia rite servanda christiana vita, illa

praesertim, quorum custodiam praesens rerum perturbatio difficiliorem facit. Quibus ex officiis duo nominatim commendanda sunt. Alterum, ut ista direptione ecclesiasticorum bonorum quidquam deminui de sacrosanto iure dominoque Ecclesiae ne dubitet, ideoque religiose videant obtemperandum esse sacerorum canorum in hac re praescriptis, nisi statutas subire poenas, adversus huius sacrilegii reos gravissimas, velint. Alterum, ut quoniam divini cultus necessitatibus consulere, redacta ad inopiam, Ecclesia non potest, subsidio huic veniant catholici, uti par. est, ac sumptus eiusmodi, pro sua quisque facultate, suppeditent.

Ceterum nolumus, propter has temporum acerbitates despondeatis animum. Adspicite in auctorem fidei et consummatorem Iesum; qui cum, ipse tentatus per omnia, Ecclesiae suae similia perpetienda fore denuntiavit, tum, quod ipse viceset mundum, in se confidere eam inssit. Hac igitur fiducia subnixi, vos alacres, Ecclesiae sanctae causa, contendite; Nosque interea Deum implorabimus, ut et vobis opportunam det opem, et meliorem Reipublicae istius moderatoribus mentem iniiciat. Horum auspicem bonorum et paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres et dilecti filii, et clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino imperimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xiv Maii M DCCC V, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

DIARIUM VATICANUM.

(Die xxi mens. Febr. - d. xx mens. Martii M DCCC VI).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos, Patres, Urbanos antistites aliosque viros, qui sui cuiusque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Von Rieder dynasta, populi orator in Bavarensi coetu legibus ferendis; nautae quinquaginta ex Civitatum Foed. Americae Septentr. classi; Caietanus De Felice marchio; De Leiningen comes; Bruno Chaves, Brasiliae legatus apud Apostolicam Sedem; Sacer Purpuratorum Senatus fausta Pontifici adprecans ob diem eius nominalem; denique ad eundem finem die S. Iosepho sacra, aulici omnes e Pontificio domo et Sodalitas Petriana e catholica Italorum iuventute canistrum ex floribus et fructibus de more offerens.

Pontificiae electiones.

In consistorio d. XXI mens. Februarii habito a Pontifice renunciantur: excusus v. Christopherus Enard archiepiscopus Auxitan., (Auch), translatus a sede Cadureen. (Cahors); excusus v. Ludovicus Luçon archiepiscopus Rhemen. (Reims), transl. a sede Bellicen. (Belley); excusus v. Ludovicus Henricus Bouquet, episcopus Carnuten. (Chartres), transl. a sede Mimaten. (Mende); r̄mus v. Iosephus M. Ollivier, vic. gen. Marsilien. (Marsiglia) episcopus Adiacen. (Ajaccio); r̄mus v. Franciscus Touzet, vic. capit. Foroiulien. (Frejus); episcopus Aturen. (Aire); r̄mus v. Iulius Gieurs, rector Sem. maior. Aturen. episcopus Baionen. (Bayonne); r̄mus v. Ioannes Victor Aemilius Chesnelong, parochus eccl. S. Mariae Magdalene Parisiis, episcopus Valentinen. (Valence); r̄mus v. Petrus Dadolle, rector Instituti cath. Lugdunensis (Lione), episcopus Divionen. (Dijon); r̄mus v. Felix Guillibert, ex-vic. gen. Aquen. (Aix), episcopus Foroiulien.; r̄mus v. Eugenius Iacobus Grellier, vic. gen. Andegaven. (Angers), episcopus Vallis Vidonis (Laval); r̄mus v.

Leo Gauthey, vic. cap. Augustodunen. (Autun), episcopus Nivernen. (Nevers); r̄mus v. Hadrianus Fodré, vic. cap. Maurianen. (S. Jean de Maurienne), episcopus eiusdem dioeceseos; r̄mus v. Iacobus Gely, vic. cap. Ruthenen. (Rodez), episcopus Mimaten. (Mende); r̄mus v. Alcimus Gouraud, canonicus hon. Namneten. (Nantes), episcopus Veneten. (Vannes); r̄mus v. Carolus Gibier, parochus S. Paterni Aurelianen. (Orléans), episcopus Versalien. (Versailles); r̄mus v. Carolus de Ligonnés, rect. Sem. maior. Mimaten. episcopus Ruthenen.; r̄mus v. Paulus Sagot du Vauvoux, canonicus Rupellen. (La Rochelle), episcopus Agennen. (Agen); r̄mus v. Aloisius Ioan. Dechelette, vic. gen. Lugdunen., episcopus titularis Hieropolitan. (Membing) et deputatus auxiliaris Eñi archiepiscopi Lugdunen.; excusus v. Leo Astulphus Amette archiepiscopus tit. Siden. (Eski Adalia) translatus a sede Baiocen. (Bayeux) et coadiutor creatus Eñi archiepiscopi Parisien.; r̄mus v. Desideratus Mercier, praeses Instituti philosophici Lovanensis, archiepiscopus Melinien. (Malines); r̄mus v. Franciscus Sedej, parochus Metropolitanae Goriti. (Gorizia), archiepiscopus eiusdem archidioeceseos; r̄mus v. Iosephus Antonius Pimenta, parochus Theopili Ottoni, episcopus titularis Pentacomien. (Pentacoma) atque coadiutor excusus episcopi S. Petri Fluminis Grandensis (Rio Grande).

Insuper S. S. quae sequuntur Ecclesias publicavit per Breve assignatas: Eccl. tit. archiep. Constantien. (Costanza) favore excusus v. Guilelmi O' Connel promoti a Sede cathedrali de Portland ac deputati coadiutoris excusus archiepiscopi Bostonien. (Boston); Eccl. metropolit. Brundusin. (Brindisi) cui unita est administratio perpetua Ostunen. (Ostuni) favore r̄mi v. Aloisii Morando, Veronensis; Ecclesiam cathedr. Boseni (Bosa), cui unita est administratio perpetua Algheri (Alghero) favore r̄mi d. Iannis Bapt. Vinati, vic. gen. Placentini; Eccl. cath. SSmae Conceptionis in Chile favore r̄mi v. Aloisii Henrici Izquierdo y Vargas, gubern. ecclesiastici Valparaisi (Valparaiso); Eccl. cath. S. Hyacinthi in Chile (S. Hyacinthe) favore r̄mi v. Alexii Xysti Bernard, vic. cap. eiusdem dioeceseos.

— R̄mus vir Adamus Sapieha, ex principibus Poloniae, inter quatuor intimos cubicularios Pontificis Maximi adligitur.

— Excusus vir Nicolaus Piccirilli, archiepiscopus Compsan. et Campanien. (Consae e Campagna) inter episcopos pontificio solio adstantes refertur.

Vita functi viri clariores.

— Mense Martio d. VI Romae Henricus Grizioli, Archiepiscopus Nicopolitan., Minerbi in Bononiensis dioecesis oppido natus die XI mensis Martii an. M DCCC XXXVII.

— Die IX Ollicana in urbe Cornelius O' Brien, Halifaxien. episcopus, Rustici, in Carolinopolitan. dioecesi natus d. IV mens. Maii an. M DCCC XLIII.

— Die XII S. Galli in urbe Augustinus Egger, illius dioecesis episcopus, Dussang in oppido natus d. VI mens. Augusti an. M DCCC XXXIII.

Varia.

Die XXV mens. Februarii SS. D. N. Pius PP. X in Basilica Vaticana e Gallicis episcopis recens electis quatuordecim, qui in Urbem venerunt, sollemni ritu ipse consecrat.

— d. II mens. Martii r. p. Pacificus a Seggiano coram Pontifice primam quadragesimalis temporis orationem habet.

— d. IV decreta coram Pontifice leguntur tum de virtutibus « in gradu heroico » V. S. D. Annae Mariae Taigi, tertiariae Ord. SSmae Trinitatis pro redemptione captivorum, tum ut tuto procedi possit ab beatificationem V. S. D. Iuliae Billiat, Institutricis Congregationis Sororum e Beata Maria Virgine.

ANNALES.

Algeciranus coetus.

Algeciranano in coetu Gallorum Germanorum que adhuc legati decentant: sed postremo de componendis utriusque partis votis circa num-

mularias seu argentarias Mauritanas mensas publicas disceptatum est. Atqui ardua semper compositio; nam de illis mensae gestione et operibus nulla dum quaestio est, de pecuniario axe constituendo acerrima discordia flarat, pariterque de gestoribus ex variis gentibus eligendis.

Modo de vigilum publicorum cohortibus per Mauritanos portus constituendis gravior lis est; Galli enim eam sibi tantum custodiam et Iberis tradendam volunt, Germani contra arbitrium rei relinquendum Mauritanorum regi censem, quem sibi faventem sciunt. Summam autem totius rei curam Galli legatis gentium omnium censem tradendam, Germani contra delecto regia voluntate censori. Paullatim vero, amotis hinc inde difficultatibus, ad concordiam evasuras res legati confidebant, quum de Casablanca ad urbem portu acrior disceptatio rediit; illum enim Germani sibi tradi exoptant quod ibi commerciorum commutatio maior, atque in dies multiplicata appetit. E quando itaque verborum « finis »?



Gallicae Reipublicae novus praeses.

Gallicae Reipublicae novo praesidi suprema auctoritas rite tradita est una cum Aemilio Loubet gratulationibus; sed legi de Ecclesia a republica seiungenda dum obsequi contendunt magistratus atque per varia tempora nomenclatores mittunt, qui signorum supellectiliumque numerum pretiumque adnotent, religiosum veluti bellum exortum heic vel illic est, quod nonnulla per oppida ad sanguinem usque processit.



Russica pax rediens.

Russorum in imperio redit paulatim pax; quinimo populares legati in coetu universo Moscoviae habito recessuros sese a caedibus et ab armis asseruerunt, dummodo optata legum instauratio quam brevissime perficiatur. Eam ob rem iam Caesar constanti animo manus ad laborem admovit, ipsumque imperiale quod vocabant collegium innovandum sumpsit ex electis membris partim a legatis populi et publico suffragio; reliquis vero ab ipso Caesare delegatis.



Regia itinera.

Regia itinera memorata digna haud habuimus, nisi quod nuperime Wurtembergii regni rex ad Saxonum regem complevit; qui immo quum communis mensae simul assiderent, germanorum regum perfectam concordiam iterum itemque auspicantes, invicem promiserunt in omnibus sese acturos, quae commune germanicae gentis bonum sint allatura.



Nuptiarum fides ab Hispanorum rege data.

In Iberia regales nuptiarum sponsiones solemnissime initiae sunt Alfonsi regis cum Victoria Battembergiae regiae domus nata, inque Sancti Sebastiani urbe prope Atlanticum Oceanum celebratae. Ante fidem datam vero fu-

tura Hispanorum regina ab Anglorum religione ad Catholicam discessit, adstantibus omnibus regalis gentis principibus et universa nobili Iberorum aula. Modo sancta Sacra-
menta illa sumpsit, confirmationis et sacrae synaxis. Postremo in hortulo regiarum aedium pinus rex ipse suis manibus plantavit in rei com-
memorationem.



Romana sollemnia.

Romae Iosephi Sancti, Deiparae Sponsi, sa-
cra dies sollemniter celebrata est, utpote patroni
caelestis Pii Papae X, qui illius nomine gau-
det. Mane sacra Pontifex litavit in Xystino
sacello, multis fidelibus adstantibus, et nobi-
liori aula, quam deinde ad auspicii vota admis-
sit. Vespere autem in atrio maximo vaticano
« a pulchro visu » nuncupato feriae actae sunt
a vigilibus praesertim qui in vaticana arce
custodiam agunt, quibus et tibicines ex Hel-
vetica cohorte accesserunt: feriis autem ipse
Pius e peristylio benigne adstitit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia Eduardi regis angurali oratione
nova comitiorum sessio inita est, quae et de
publicis rebus et de domesticis late disseruit,
optimaque auspicia et Hyberniis et Transva-
lianis populis spopondit. Mox de pecunia pro
classis augmento eroganda lata rogatio, atque
multis suffragiis approbata.

In Argentina republica Quintana praeses
vita concessit: supremum itaque magistratum
Figueroa, vir alter a praeside, pro tempore
gerit, cuius natu modo novi administri in eorum
locum sufficiendi erunt, qui recens munere sese
abdicarunt.

In Austria rogatio de iure suffragii immu-
tando coram legatis populi a Gaustch dynasta
mirifica oratione oblata est. Sed Germaniae
factionis viri latae legi plerique adversantur;
reliqui e Slavorum gente rem libenter audi-
dere. Haec inter de commerciis commutandis foedera
cum Italis et Serbis Bulgarisque innovantur.

In Belgica coram municipibus de seditioni-
bus et criminibus in africana colonia ad Congo
flumen patratis vehemens disceptatio habita est,
ac tandem traditum coloniae magistratibus im-
perium cavendi, ne quid publica res detrimenti
caperet.

In Gallia coram populi legatis de tumultibus
per urbes et oppida adversus fisum et pro tem-
plorum tutela oboris acris disceptatio exorta:
cuius in fine voto legatorum concedere adminis-
tratos supremos oportuit, et a munere dis-
dere. Eorum in locum Sarrien et eius socii, inter
quos Clemenceau, ad imperium accesserunt.

In Germania foedus cum Abyssinorum rege
de commerciis commutandis inito multis suf-
fragiis probatum est: disceptatum: autem de
simili foedere cum Americana foederata re-
publica ineundo.

In Italia novum administrorum collegium,
Sidney Sonnino praeside, gubernare coepit, de-
que legibus ab eo oblatis inita est disceptatio.

In Hungaria post diurnam discordiam le-
gatorum eo tandem deventum est ut ipse Caesar
Nyrio, militum imperatori, litteras dederit de
dimittendis ab aula legatis; qui proinde comit-
tantibus militibus ad aedes legatorum venit,
legatis, ne regias litteras audirent, statim au-
lam dereliqueruntibus.

In Russia, novissimo decreto Caesaris, con-
stituti sunt dies Aprilis mensis postremi et Maii
mensis primi ad populares legatos prima vice
in comitiis eligendos.

PER ORBEM.

Die xx mens. Februarii M DCCCCV Sutton mons
in Americana nordica regione Colorado, ex
improviso in vulcanum mutatur. Ex hiatu, in
summo ipso monte facto, flammae, fumus, li-
quefactaque saxa effunduntur, nulla tamen
hominum nece, quibus sibi consulere tempe-
stive licet.

— d. XXIII Lutetiae Parisiorum in peristylo
Gallici theatri Alafridi De Musset poetae sta-
tua erigitur.

— d. XXV Berolini, ob XXV expletos annos a
nuptiis Guilelmi et Augustae Caesarum sol-
lemnia celebrantur.

— Chilensi in urbe S. Iacobi flammae thea-
trum a S. Martino nuncupatum absumunt; spec-
tatorum plures vulnerantur, sex adusti pereunt.

— d. XXVI e Sinarum regione Kien-Si novae
Missionariorum caedes nunciantur.

— d. XXVII Berolini Eitel Fridericus, Guilelmi
Caesaris filius, uxorem dicit Sophiam Caroli-
nam ex ducali domo Oldenburgensi.

Die I mens. Martii tumultus, qui passim in
Gallia fiunt ab incolis impudentibus ne civiles
magistratus de Ecclesiarum bonis inquirant,
augeri quotidie feruntur. Mimatensi in pro-
vincia (Mende) furor arma ministrat; mulier ex
plebe misere vitam amittit.

— d. II in Hispania supremum obeunt diem
Romerus Robledo, qui rebus publicis pluries
praefuerat, et Ioannes Maria de Pereda, vir
litteris clarissimus.

— d. III apud Drontheim, Norvegorum oppi-
dum, naufragium patiuntur piscatores mille et
ducenti, quorum plures undarum praeda fiunt.

— d. VIII in Philippinis insulis Americani
post pugnam ad tres dies perductam Dayo
monte potiuntur, quo latronum multitudo, fini-
tiae regionis terror, configuratur; eosque vel
occidunt vel captivos faciunt.

— d. X, ad Courrières in fodinis, gaz vulgo
grisou incenditur necemque horrendam affert
operariis in montis visceribus carbonis ef-
fossioni vacantibus ad mille et octingentorum
numerum, quorum vix quingenti sospites eva-
dunt.

— d. XVII ingens terrae motus Kaghi urbem
in insula Formosa vastat, domus evertens, mor-
tem et vulnera innumeris incolis adducens.



AENIGMATA.

A SOCIO ANDR. PAPAY PROPOSITA.

I.

Sum genitor prolesque mei nulloque creante
Parturiens, vitam morte reformo novam.

II.

Sto pede subnixus, contemplor inania tractus;
Depressa dulces haurio fame dapes.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis inter-
pretationem ad Commentarii moderatorem
miserint intra menses duos, unus, sortitus,
gratis accipiet opus cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Aenigmata an. IX, n. I proposita his respondent:

1) A-vis; 2) Palus-ter.

Ea rite soluta miserunt:

Collegium Scholarum Piarum, *Stoffa*, — Petrus Tergestinus,
— Renk par., *Davenportu*. — Collegium Scholarum Piarum,
Praga, — Arn. Blekman, *Haga*, — G. Vallas, *Corduba*, —
Henr. Tarallo; Vincentius Starace, *Neapoli*, — Mich. Vidal,
Patma in insula Majorica, — T. Chave, *S. Boise*, — Rich.
Brondel, *Brugis*, — F. Arnori, *Mediolano*, — P. A. Gest, *Lam-
bertville*, — I. Walter, *Neo-Eboraco*, — L. Guerra, *Atletio*, —
I. Ortiz, *Morelia*, — Andr. Papay, *Prussia*.

Sortitus est praemium

P. A. Gest,

ad quem missum est opus, cui titulus:

MARCI MINUCII FELICIS
OCTAVIUS
ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATUS.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Le crucifix dans l'histoire, dans l'art, dans l'âme
des Saints et dans notre vie par I. HOPPENOT
(3^e édition). — Edid. Societas S. Augustini Desclée,
De Brouwer et Soc., Insulis atque Parisiis.

F. RAMORINO. Il codice 13K della biblioteca di
S. Gimignano. Castri Florentini edid. Giovannelli
et Carpinelli, 1905.

F. RAMORINO. Fiaccola sotto il moggio o lucerna?
— Florentiae, apud commentarium *La Rassegna na-
zionale*, 1906.

S. Francisci Assisiensis vita et miracula additis
opusculis liturgicis auctore Fr. Thoma de Celano.
Hanc editionem novam ad fidem mss. recensuit
P. EDUARDUS ALENCONIENSIS O. Fr. Min. Cap.—
Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., 1906. (Ven.
lib. 10).

HORACE MARUCCHI. Éléments d'archéologie chré-
tienne. I. Notions générales (2^e édition, revue et
augmentée). Indidem. — (Ven. lib. 6).

SOLDATI F. Manuale di storia ad uso dei licei. *Storia
contemporanea*. IV edizione migliorata. — Indidem.
(Ven. lib. 2).

Mons. FRANCESCO GIACCI. Vita della Beata Ver-
gine Madre di Dio e degli uomini. (2^a edizione).
Indidem. — (Ven. lib. 3).

Il beato Curato d'Ars di GIUSEPPE VIANEY. Indi-
dem. — (Ven. lib. 2).

Le persecuzioni e la critica moderna di P. ALLARD.
— Indidem. — (Ven. lib. 0,60).

Il primato del Vescovo di Roma durante i primi
tre secoli della Chiesa di V. ERMONI. — Indidem.
(Ven. lib. 0,60).

Marie révélée à ses enfants par le Père LUDOVIC
DE BESSE Fr. Min. Capucin. — Indidem.
Un cours d'esthétique artistique dans les classes
supérieures d'Humanités anciennes par l'abbé
HECTOR GEVELLE. — Enghien, ex off. A. Spinet, 1905.
(Ven. lib. 0,50).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Paetis*, Phil. Cuggiani.

ZENO — Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli.

(3)

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

Crudele caelum! Testor Acherontis vada,
Me si sepulcrum condat, evulsus simul
Trahet ruinam mundus. Infodiam solo
Cum dominibus urbes; regna cum populis ruam;
Revocato priscum mole congesta chaos!...
Horresco memorans!... Vivus in tumulum!...

[O scelus!

Quae me per auras penna sublimem vehat,
Ut nocte iniquas obruam aeterna faces?
Stellas refigam? Fata Caesareae domus
Male ominus siderum evellam fibris? (1)
Age, fare, vultur; caedis auctorem indica.

EUPHEM. (2) « Alumnus aulae fronte mentitur fidem,
Ius, fasque verbis, corde meditatur nefas ».

ZEN. Nomen.

EUPHEM. Siletur.

ZEN. Proditor, trifaux canis,
Fides ne stellis certa?

EUPHEM. Quam probat dies.

ZEN. At te quis aevi casus essolvet?

EUPHEM. Quies.

ZEN. Quid? te Charonti proximum exsolvet quies?
Me terra vivum rapiet, Imperii caput?
Falluntur astra; teque mendacem probo (3).
I, morere, pestis; ferrea te solvat quies!

EUPHEM. Miserere, Caesar...

ZEN. Fraudis artificem, neco.

EUPHEM. O plaga, pereo!... Ferte, populares, opem!

ZEN. I, veriora disce Rhadamanto loqui.

EUPHEM. Vulgus silentum! O!

SCENA III.

LONGINUS, ZENO, EUPHEMIANUS.

LONG. Siste, da victas manus,
Caedis patrator (4).

ZEN. Stringor? O vastum nefas!
Eat in medullas muero! (5)

LONG. Fulmineum rota,
Longine, ferrum! Pereat infandum caput!

ZEN. Mactetur hostis! (6)

LONG. Spirat exitium furor:
Succumbe monstrum!

ZEN. O lingua Cerborei canis!

LONG. Succumbe, vel te vulnere aeterno premam.

ZEN. O parce, frater.

LONG. Horror attonitum quatit.

ZEN. Auguste!

LONG. Frater!...

ZEN. Quid fero indulges ioco?

LONG. Quid me profana caede sacrilegum facis?

ZEN. Fraterna praeceps ora subduxit furor.

LONG. Ignarus — Orcum testor — inieci manum;

Tamen furoris impetum damno mei.

(1) His ad spectatores conversus dictis, ad Euphemianum reddit.

(2) Tremebundus.

(3) Irrumpit in Euphemianum, quem sica vulnerat.

(4) Zenonem retrahit insequentem Magum, qui interim fugit.

(5) Ad duellum invitat.

(6) Duello certant.

Pudet impiasse tela; si dubitas, feri (1);
Pectus patescit.

ZEN. Pectus innocuum, fides,
Dextramque vastus error insontem facit.
LONG. Sed cur latenti condis ornatu iubar?
Cur solus? Unde sanguine immersus suo
Euphemianus?

ZEN. Tempus alloquium vetat;
Clarescit aether. Si qua sideribus fides,
Mihi sors tremendos funeris casus parat.
LONG. Omen tremisco.

ZEN. Hinc sparget ubi Phoebus diem,
Aulae senatum cogam, et Harmatii domum
Spoliabo regni decore: mox tuos premet
Diadema crimes: iunctus imperii comes,
Ferocientis tela fortunae leva.
Sociemus animos, frater.

LONG. Amplexum cape (2).
Fas omne mundi, teque rutilante invoco
Aurora vultu; frater hanc animam lubens,
Et quidquid usquam dulce mortali dedit
Natura; dextram, sanguinem, vitam, necem,
Tibi voveo uni. Stat sub horrendos caput
Offerre casus; stat remolito Chaos
Intrare mundo, dum pius frater tegam.
ZEN. Dictum est abunde. Phoebus attollit comam (3).

SCENA IV.

LONGINUS.

Exsurge Titan, meque radiorum indue
Foeliciore iubare. Quam longo diem
Suspicio poposci, et aeterna prece;
Foelix repente rebus affulsi meis.
Tumesce pectus, spatia laetitiae para:
Conscia triumphi mens per immensos volet
Spatiata plausus; tango iam celsus polum,
Stellasque verro syrmate trahaci, Deus.
Quid segnis haeres, anime? Quid vulgi sequax
Longum secunda sorte contentus iaces?
Altius anhela; subque cognatum leva
Axem, favillas semine aetherio satas.
En blandienti mollis afflatus vocat
Zephyrus vocat, laetumque fortunae iubar
Provocat euntem. Regna, si nescis, petis.
Ergone tandem regna quaerenti patent?
Nec dum aestuanti pectus obsessum face
Sentis flagrare? Flagro. Regnandi furor
Sub corde regnat; scepta suffodiunt iecur.
Hac spe per acies nudus hostiles ferar;
Hac spe minacis fulmen excipiam poli;
Hac spe profundam vivus intrabo Stygem.
Nil esse regum stirpe prognatum iuvat,
Fratreque regum, si iugum famulus trahas:
Aut imperas, aut servus imperium subis.

(Ad proximum numerum).

(1) Offert Zenoni sicam et pectus exponit.

(2) Fratrem amplexatur, haerensque in amplexu quae sequuntur
dicit.

(3) Exit.

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, via Alessandrina, 87) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.